



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et
Exercitiis Accommodatæ Libri IV**

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. IV. Quomodo adoratio Imaginum seratur in Imaginem & Exemplar.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

servum fervorum nemine excepto; quidni id posset dicere Rex? Quodsi hoc non placet Arriagæ, det ipse specialem rationem, cur Rex non possit deponere pileum Carnifici, id tamen possit alicui ex suis aulicis etiam inferioris ordinis, & tunc erit Carnifex excipiendus sicut suprâ excepimus dzmones.

CONTROVERSIA IV.

Quomodo Adoratio Imaginum feratur in Imaginem & Exemplar.

Celebrem fecerunt hanc questionem Suarez & Vasquez quorum dissidium priusquam proponam referenda est sententia aliorum.

432. Durandus, Holkot, & quidam alij apud Suarez, dixerunt, Imagines propriè loquendo non adorari, sed exemplar præsentem imaginem: à qua sententia vix distat Cajetanus 3. p. q. 25. a. 3. & seqq. asserens, Imaginem esse tantum conditionem adorandi Exemplar (vult dicere, ut opinor, occasionem, sicut alicui gladius Judicis posset esse occasio laudandi iustitiam) & honorem non exhiberi conditioni rei adoratae, sed exemplari ipsi quod est ratio adorandi.

Hanc sententiam aliqui Theologi gravibus censuris afficiunt, imò aliqui etiam à fide alienam existimant; & licet Vasquez conetur eam ab omni censura vindicare (fortassis in favorem suæ sententiæ) si tamen verba spectentur, videtur mereri censuram: Concilia enim utuntur contrario loquendi modo. S. Basilii relatus in Concilio Nicæno 2. act. 1. *Honorificè*, inquit, *veneror venerandas imagines*. In eodem Concilio act. 6. Epiphanius Diaconus damnat illos, qui imaginum usum ad memoriam solam, non verò ad salutem seu venerationem admittunt. atqui non apparet, quid hæc sententia aliud imaginibus tribuat, quam vim excitandi memoriam exemplaris, & sic occasionandi cultum ejusdem.

Confirmatur. Nam si Patres approbantes cultum imaginum, aliud non voluissent, quam quod vult hæc sententia, facillimum fuisset instruere hæreticos illos, qui quidem admittunt cultum Sanctorum, vel cultum Dei, non tamen imaginis ejusdem. potuisset, inquam, paucis verbis illis dici, nos tantum ex occasione imaginum colere ipsum Deum, sicut auditâ voce *Deus*, excitamur ad memoriam Dei. Vnde etiam facile satisfactum fuisset argumento eorundem præcipuo contra cultum imaginum, quòd scilicet sint res mortuæ, inanimatæ. Neque enim est contra naturam rei inanimatæ excitare memoriam Dei. Ex quibus apparet, SS. Patres alium prætere cultum imaginibus asseruisse. Hæc ergo sententiâ rejectâ,

433. Sententia P. Vasquez d. 108. est, post Alphonsum à Castro, non posse adorari imaginem, quin eadem oratione adoretur in recto ipsum exemplar. Nam licet osculum fiat ima-

gini, & genuflexio ante imaginem, hi tamen locum sunt actus externi: at verò actus internus totus quantus (ut vult Vasquez) occupatur circa exemplar, nec villo modo attingit imaginem. Id sola actio externa, per quam ut factam imaginem affectus internus se submittit exemplari, non tamen imaginem, utpote quæ est incapax submittendi, & quia stultum est substantiam rationalem volu se submittere rei inanimatæ.

434. Dicendum est primò, & concedendum sententiæ Vasquezij, quòd quando colimus imaginem, non feramur in imaginem per actum internum eo modo quo ferimur in exemplar. Ratio est. Exemplar adoramus solè, & quidem propter excellentiam in illo repositam, imaginem verò non nisi respectivè, & propter excellentiam exemplaris, & quidem ut committamur ei, nec villo modo physice vniti aut coherentes vnâ personam cum imagine. Deinde vix ne notat Lugo, exemplar colimus tanquam cui debetur ille cultus, & cui solvimus debum, & in ordine ad quod ille cultus habet rationem iustitiæ potestativæ, imaginem verò non in colimus, sed ut purum terminum illius cultus, alteri debemus, scilicet exemplari, & ideo adoratio imaginis, prout fertur in ipsam, non appellatur à Concilio Adoratio in Spiritu, quia hæc adorationem non communicamus potestati & viviliter cum imagine, utpote rationis expectantis est adoratio & cultus quasi inanimatus & mortuus, quia per genuflexionem nolumus aliquem significare aut testari imagini, sed exemplari. Quapropter voluntas significandi tota ferretur in exemplar, non enim potest ferri nisi in id, cui volumus loqui tali signo: non volumus autem loqui nisi intelligenti: solum autem exemplar intelligit, non imago. Quodsi Vasquez hoc voluisset, vera esset illius sententia. Sed quantum ex verbis colligi potest, negavit tantum voluntatem submissionis villo modo recedere in imaginem, & de hoc est controversia. Inque

435. Dicendum 2. Affectus internus submissionis aliquo modo terminatur & receditur in ipsam imaginem, volendo imaginem recedere & illi se submittere, propter excellentiam exemplaris, cui talis celsio imagini exhibenda debetur. Ita ceteri DD. Probatur 1. Quia nisi hoc dicitur, non receditur re ipsa à sententiâ Durandi, quæ ab omnibus rejicitur. Nam licet Vasquez recedat à Durando in hoc, quòd Vasquez dicit, imaginem verè adorari, esto terminet solum cultum externum, & nullo modo internum, hoc tamen est solummodo differe in modo loquendi, non in re ipsa. Nam Durandus non negavit imagini rectè figi osculum, caput illi apponi, &c. sed solum negavit hæc sufficere, ut imago dicatur adorari. Imò, ut notat Arriaga, dum Vasquez affirmat hoc sufficere ad adoracionem, loquitur inconsequenter, suprâ enim docuerat, adoracionem externam sine internâ non sufficere ad adoracionem: quomodo ergo verum est adoracionem

imaginem, si interna adoratio non versatur circa imaginem?

436. Ratio à priori ex ipsa definitione adorationis sumitur, quam tradit S. Damascenus orat. 1. de Imaginib. & Anastasius relatus in VII. Synodo act. 4. & quam suprà retuli, quòd sit, *Nota submissiois & reverentia*: ergo illud quod adoratur, debet terminare submissione & reverentiam, est enim nota reverentia respectu illius quod dicitur adorari.

437. Confirmatur & declaratur duplici instantia. Si enim ad denominationem *Adorati* sufficeret, me coram imagine pileum deposuisse, sequeretur, quòd si in imagine depictus esset Diabolus, aut Judas Iscariot &c. etiam ille diceretur adoratus. Secundò sequeretur, quòd quando coram Eucharistia percuto peccus, adorarem peccus, ut notavit Lugo, vel qui oscularetur terram, adoraret terram, ut notavit Suarez. Verum quidquid sit de his instantiis, quæ meo iudicio eludi possent, dicendo, quòd requireretur ut interna adoratio tenderet in diabolum tanquam exemplar: quidquid sit, inquam, de his.

438. Probatur Assertio 2. ex mente Conciliorum & Patrum, approbantium cultum imaginum, quæ planè alia non fuit, quàm quòd non solum externa Cæremonia, sed etiam internus animus submissiois feratur in ipsam imaginem. Concilia enim & PP. dicunt simpliciter & absolute, imagines adorari, & hoc contra Iconoclastas definiunt & inculcant, atqui Iconoclastæ illud maxime in cultu imaginum detestabantur, quòd internus affectus externâ cæremoniâ manifestatus tenderet in imaginem: ergo ex mente Patrum talis tendentia est admittenda.

Confirmat hoc bene Arriaga. In Concilio Nicæno 2. Act. 4. dicit Leonius: [Imaginem Christi adorans non lignorum aut colorum materiam adorat, sed inanimatum characterem Christi.] Vnde colligitur adorari rationem imaginis, & non lignum aut colorem secundum se.

439. Probatur 3. à paritate amoris. Si amem Petrum præcise amore Dei & propter Deum, tunc debeo Petro velle aliquod bonum, quod verè sit bonum Petri, & non præcise bonum Dei: si enim magis placeret Deo occisio Petri, ego occidendo diligerem quidem Deum, sed non diceret diligere Petrum, si occisio non esset bona Petro, etiam si exerceretur circa Petrum: ergo pari modo ut dicar adorare imaginem propter excellentiam exemplaris, non est satis cultum externum exerceri coram imagine, sed debet etiam internus affectus submissione imaginis præstare.

440. Probatur 4. Argumento à contrario. Etiam si coram Cruce fiat Sacrificium, non potest tamen vlllo modo dici, sacrificari Cruci: ergo neque ad hoc ut imago dicatur simpliciter & proprie adorari, sufficit externam adorationem coram illa fieri. Ergo à primo ad ultimum non potest defendi, quòd Imago simpliciter colatur,

nisi dicatur, affectum internum tendere in imaginem.

441. Rationem à priori reddit Lugo n. 39. & ostendit, repugnare, quòd externus cultus exhibeatur imagini quæ tali, quin etiam internus affectus submissione feratur in imaginem: hoc ipso enim quòd velit flectere coram imagine, & illi reverentiam facere, jam adest affectus quo me volò collocare infra imaginem, illi cedere locum meliorem: qui est ille ipse affectus, quem adoratio requirit.

442. Obijcies 1. Adoratio est solutio debiti: atqui imagini non dicimur solvere debitum, sed exemplari. ergo ad adorationem sufficit nos habere affectum submissione respectu exemplaris, etiam si non habeamus respectu imaginis. 2. Negando consequentiam, quæ non est legitima. claritatis tamen gratiâ distinguitur major: adoratio est solutio debiti, ita ut debitum debeatur omni illi, cui nos submittimus, nego, ita ut debeatur illi cui nos submittimus propter se, & alijs propter connexionem cum illo, concedo Majorem: & concessâ minore, negatur consequentia: sicut Vasquez debet negare hanc; Adoratio est solutio debiti: sed debitum tantum solvitur exemplari: ergo tantum adoratur exemplar: vel sic; Sed debitum tantum solvitur illi cui nos submittimus (ut vult Vasquez) ergo tantum adoratur ille cui nos submittimus interius: quæ consequentia est contra Vasquez. Sicut ergo Vasquez debet distinguere, dicendo, quòd adoratio sit quidem solutio debiti, sed non debiti omni illi quod adoratur, ita nos dicimus, quòd interna submissio animi sit solutio debiti, sed non omni illi cui fit submissio. Verbo. Sicut externa adoratio fit & imagini & exemplari, sed tantum debetur exemplari, ita nos dicimus, quòd interna submissio fiat imagini & exemplari, sed tantum debetur exemplari. Itaque ad hoc ut imago dicatur rectè adorari, & hanc adorationem deberi exemplari, debet non tantum genuflexio fieri imagini, sed etiam accedere internus animus se submittendi imagini propter exemplar: quia & genuflexio, & talis animus debetur exemplari. Declaratur à simili. Sicut ad rationem amoris vnus propter alium, non est satis, me velle bonum fini *CVI*, sed debeo velle bonum etiam illi quem amo propter alterum: v.g. ut dicar amare canem propter dominum, debeo cani facere aliquod bonum, tamen hoc faciendo non solvam debitum cani, sed domino: sic ad hoc ut imago dicatur adorari, non est satis, affectum submissione ferri ad exemplar, sed debet ferri in imaginem, licet sic me submitendo non solvam debitum imagini, sed exemplari.

443. Obijcitur 2. Textus quidam VII. Synodi Act. 4. vbi dicitur, quòd sicut Jacobus osculans vestes Iosephi, non ipsam vestem dilexit aut honoraverit, sed per eam arbitratu est se Iosephum osculari, sic nos osculando imagines

Y y

animo

animo videmur ipsum Sanctum osculari. Ergo Patres voluerunt, internum affectum tantum terminari ad exemplar. *g.* Intentionem illorum Patrum solum fuisse, declarare, nos imagines non adorare adoratione absolutâ, sed solum exemplar, alioquin exemplum nimium probaret, nempe quod sicut Jacob nullo modo amavit vestem, ita nos nullo modo adoremus imaginem.

444. Obijciatur 3. Tridentinum sess. 25. ubi videtur definiri, quod affectus internus feratur in solum exemplar, dum dicitur, quod honor illis delatus feratur ad prototypa, ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos. *g.* Imò si Tridentinum attentè legatur, potius nobis favet. dicit enim, honorem exhiberi imaginibus, & illum honorem transire in exemplar, & honorari exemplar, dum imagines honorantur: atqui osculum utique non transit ab imagine ad exemplar: ergo affectus internus transit: atqui non potest transire ab uno ad alterum, nisi fuerit

ibi unde transit: ergo affectus internus transit ad imaginem, à qua deinde transit ad exemplar. Cum hoc autem bene fiat, in imagine & per imaginem honorari Sanctum, quia qui honorat me honorat, & quia ad me per me honorat, & sic Christus dixit: quod vultis nimis meis fecistis, mihi facistis.

445. Obijciatur 4. Res inanimata non est capax submissionis & reverentiae, sicut nec capax injuria: ergo non potest adorari. Probatur consequentia. Adoratio est quidam fictitia potestativa, quae debet esse ad aliquid: ergo autem non est altera, quia non est potestativa. Imagines non esse capaces adorationis, sicut luteae, seu propter excellentiam propriam, sicut ne respectiva, & propter excellentiam extrinsecam, & huic solvitur seu exhibetur solutio. & hoc est alterum, ut jam superius sufficienter declaratum est.

CAPUT VLTIMUM DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM

Hujus saepius mentio facta est in hoc Tractatu. Ejus explicationem in ultimum locum rejecimus, estque questio de modo loquendi cum debita cautela, quae in formandis propositionibus circa Incarnationis Mysterium adhibenda est.

446. Idioma Theologis hic idem est, quod Praedicatum. Communicatio verò Idiomatum aliud non est, quam quod praedicata quae Christo conveniunt formaliter ratione unius Naturae, dicantur de eo ut expresso per concretum alterius Naturae: v. g. quae conveniunt illi ratione Naturae Humanae, ut, *esse passum*, praedicantur de eo ut significato nomine Dei, ita ut etiam verum sit, Deum esse passum, sicut verum est, Hominem esse passum: & sic contra verum etiam sit, hunc hominem esse Creatorem & Dominum &c. quae Christo conveniunt ratione Deitatis.

447. Porro, omnis hac vicissitudinaria communicatio fundatur in veritate hujus propositionis: *Deus est homo: Homo est Deus*, de cujus proprietate licet minus rectè senserit Durandus, ab omnibus tamen Catholicis, imò & nostri temporis heterodoxis admittitur, cum omnibus SS. PP. & est definita in Concilio Ephesino adversus Nestorium, negantem B. Virginem esse Deiparam.

Ratio communiter reddi solet à RR. quia ubi rectum concreti est idem, unum dicitur de

alio: sic album dicitur dulce. atqui Rectum humanis est, Subsistentia: & rectum Dei est etiam Subsistentia: ergo rectè dicitur, *Deus est homo*.

448. Verum, hoc principium valde controvertitur à Philosophis, & multi cum Vancie negant, concretum *DEVS*, dicere in recto Subsistentiam, sed potius Naturam, & multo minus concretum *Homo*, in Recto dicere Subsistentiam alioquin esset verum dicere: *Homo est Deus*, vel in sententia Scoti: *Homo est negatio communicationis* &c.

449. Hinc motus Card. Pallavicini, negat Subsistentiam importari solum in recto per nomen, *Homo*; & vult importari esse nomen quod continet Humanitatem. [Porro autem, hoc esse totale in nobis includit etiam ipsam Humanitatem, & per eam constituitur & perficitur. At illud esse totale quod est in Christo, potest capi dupliciter. Primum, prout est purum esse & vinum, contradistinctum ab Humanitate, sicut ut tale habet totam perfectionem illius compositae constantis ex Verbo & Humanitate: & secundum hanc acceptionem vera est haec propositio. *Homo est Deus: homo est increatus*. Nam illud tale totale habet verè omnia ista praedicata. Secundo, hoc nomen, *Homo*, potest accipi in Christo ut includens non solum Verbum, sed etiam Humanitatem intrinsecè, & secundum hoc esse